

50 tia terminata, tamen ad paenitentiam confugiunt dicentes:
« Quis scit si paenitebit Deus et deprecabitur super mali-
tia quam locutus est ut faceret nobis. » Quod si homines
barbari et imperiti tantum potuerunt habere intellectum
divinae bonitatis, nonne multo magis nos oportet, qui in
55 divinis Litteris eruditi sumus ? Et quia haec ipsa exempla
praecessisse non ignoramus multaue alia ex divinis Scrip-
turis similia vel in sententiis vel in rebus gestis didicimus
contineri. « Non enim, inquit, Deus, consilia mea sicut
consilia vestra, nec viae meae sicut viae vestrae, sed
60 quantum distat caelum a terra, tantum distant cogita-
tiones meae a cogitationibus vestris et consilia mea a
consiliis vestris. » Tum praeterea, si nos famulos nostros
qui forte nos offenderint, cum promittunt se futuros esse
meliores recepimus et ad priorem revocamus locum, inter-
65 dum vero etiam maiorem eis post offensam ex reconci-
liatione fiduciam damus, nonne multo magis nobis hoc
faciet Deus. Nam si propter ea nos fecisset ut puniret,
bene desperares et dubitares de salute tua, si vero propter
bonitatem suam tantummodo nos fecit ut aeternis eius
70 bonis et muneribus frueremur, atque omnia quae agit ab
initio saeculi usque ad praesens tempus propterea agit et
propterea monet, quae ultra nobis desperandi, quae ambi-
gendi causa supererit ? Sed vehementer, ais, offendimus
eum ut nullus unquam hominum. Propterea ergo maxime
75 velocius et vehementius satisfacere oportet et paenitudi-
nem gerere commissi et cito recedere ab his actibus, qui-
bus offenditur Deus. Neque enim rectas et ingenuas
mentes ita offendit, quamvis gravissimi iniuria delicti, ut
contemptus satisfaciendi. Peccare namque humanum est,